NONNULLA
DE RENUM TUBERCULOSI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
VENIA ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT
ET DIE VI. M. JUNII A. MDCCCLXII
HORA XII
UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
ERNESTUS THUEMMEL
SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
A. MUELLER, Dd. MED.
F. CHOMSE, CAND. MED.

HALIS SAXONUM,
TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIO-SCHWETSCHKIANIS.

PATRI OPTIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Quum in omnibus fere nostri corporis organis, tum etiam in renibus abscedere possunt tubercula, quae quidem aut separatas in substantia renum corticali efficiunt massas, quarum magnitudo inter bullam acus atque nucem avellanam variat, aut sunt textui renum ita inserta, ut massam efficiant continuam atque unum vel plures renum lobulos impleant.

Duo vero stadia tuberculosis renum discernere possumus. Primum enim tubercula sunt rudia, spissa, eadem atque granum milii magnitudine, tum autem, quum molliri incipiant, pulticulae fiunt similia. Parva illa abscedentia, quae plerumquae circuitu lineae, quam vocamus „Demarcationslinie," cinguntur, atque formam globi praebent; ex textu circumfuso facile exsecantur. Si quis microscopio utitur, abscedentia ista ex subtiliter granulata materia nonnullis cellis insertis constare perspicit. Mediis in abscedentibus saepissime inveniuntur reliquiae exiguorum tubulorum uriniferorum, quorum non nulli materia illa tuberculorum impleti sunt. Et tubuli uriniferi, qui textum

integrum circumdant, normales raro sunt, quum epithelium aliud magis alio turbatum sit atque granulatum.

Mueller*), quum microscopio adhibito renes tuberculis infectos inspiceret, exploravit haec: Sufflava, partim casei modo dilapsa materia continet copiam exiguarum, quasi puncti instar obtinentium, lucem valde refringentium molecularum, quae acido acetico non mutantur, et quibus crebrae, subtiliter granulatae, non constanter conturatae, granio similes figurae (corpuscula tuberculosa), insertae sunt. Sunt autem hae ad illas tam spisse accumulatae ut omnia, quae conspiciuntur, turbata videantur atque cognosci vix possint. Cana, juri gelato similis substantia, quae moteriam illam ad parenchyma ipsum versus circumcludit, quum per modicum microscopium inspiciatur, virgatula esse videtur atque granosa; quum autem in satis tenues concidatur orbiculos, adhibito acriori microscopio intelligitur ex densissime confertis granosis cellis et rotundis et ovatis et in speciem fusi factis esse composita. Quas inter cellas easdemque multitudine superantia grana innumerabilia, quae multitudine vel maxime variantes circiter 0,008 mm., explent, inserta sunt. Ea autem nonnunquam tam multa sunt, ut maximam eorum, quae conspiciuntur, partem sola explere videantur. Omnia sunt granulata, plerumque quidem rotunda, sed partim etiam formam angulosam exhibent atque inconstantem. Tubuli uriniferi, qui in nonnullis saltem substantiae illius locis

*) Ueber Structur und Entwickelung des Tuberkels in den Nieren. Erlangen 1857.

reperiuntur, variam praebent speciem. In extremis canae, juri gelato similis substantiae straturis, in quibus haec ad relative normalem renum textum adjacet, tubuli uriniferi impleti sunt crebris epitheliis. Quum singulae cellae usitata magnitudine sint, atque perspicuis finibus terminatae, interiores earum partes multis granis exiguis impletae sunt splendidisque, quae germen non nunquam plane abtegunt. Nec raro deprehenduntur cellae majores quam solent. Bina, ternave grana rotunda continent. Magis introrsus granosa epitheliorum infiltratio aucta est, iisdemque tubuli uriniferi plane conferti sunt. Normalibus ab epitheliis ita differunt, ut minores illis sint, atque cellarum conturae crebris et lucem valde refringentibus granis impletarum magis magisque obscurentur evanescantque. Ad fines flavae materiae versus rari conspiciuntur tubuli uriniferi, quibus quaedam cum microscopiis flavi tuberculi figuris esse videtur similitudo.

Conturae singulorum cellarum epitheliorum jam non cernuntur, omnia autem membrana propria circumclusa sunt admodum conspicua, ex moleculis composita arte compressis atque lucem valde refringentibus, in quibus permulta dilapsorum epitheliorum germina granulata ac non constanter angulata insita sunt. Neque corpusculorum Malpighii, neque vasculorum sanguiniferorum conspiciuntur reliquiae.

Ceterae corticalis partes ingentem degenerationem adiposam in epitheliorum cellis omnium tubulorum uriniferorum exhibent, simulque tubuli ipsi multo ampliores facti sunt, ita ut utriculorum turbatorum contortorumque

atque innumerabilibus, adiposi degeneratis lucemque valde refringentibus moleculis, quae passim in majores adipis guttas coactae sunt, impletorum praebeant speciem. In interioribus corpusculorum Malpighii partibus multa grana parvula accumulata sunt; praeterea singulis sufflava quoque corpuscula pigmentaria sunt insita. Parietes quoque arteriarum parvarum atque venarum molecularіam infiltrationem adiposam exhibent.

Majoribus copiis abscedentibus tubercula, quum confluant coeantque, magnas efficiunt massas, quae nonnunquam una ex partibus illis renum panno similibus distincte includuntur. Ea vero molliri, mollitaque in pelvem renum effundi supra jam exposuimus.

In corpusculis medullaribus tubercula ita abscedunt, ut aut parvae granulationes aut magnae massae enascantur. Morbo autem magis progresso corpuscula medullaria conficiuntur delenturque, quum aut ulceratio tuberculis mollitis efficiatur, aut urina, quae per turgentem atque obstructum urethrum exinaniri non potest, magnopere premat urgeatque. Calamitas a membrana pituitaria calicum pelvisque renum proficiscens, in urethrum procedere solet, cujus parietes condensantur, membrana pituitaria ulceratur, omnisque canalis saepe coarctatur, ita ut urina atque tuberculorum materia in renum cavis retentae renes ipsos extendant amplificentque. Rayero*) auctore in sedecim aegrotis volumen renum inventum est novies non dilata-

---

*) Traité des maladies des reins.

tum, bis etiam minus quam esse solet. Maximum autem exhibuerunt volumen ii aegroti, quorum urina tuberculorumque materia impedita erat quominus ederetur.

De frequentia et aetiologia.

Ex tuberculosi renum quamquam non multi quidem homines laborant, tamen non desunt medici, qui morbum illum in uno alterove aegroto cognoverint et observarint. Quum autem ejus diagnosis in multas variasque incurrat difficultates, atque ea, quae in illo morbo singularia sunt, neque in ullam aliam calamitatem conveniunt, saepe non cernantur, fieri facile potest, ut id morbi genus non modo non cognoscatur, sed etiam cum aliis organorum urinalium morbis, quae similia exhibent symptomata, confundatur.

De causis tuberculosis renum, qui observarunt eam et explorarunt, inter se discrepant. Id vero unum omnes consentiunt, generalem scrophulosam ac tuberculosam dyscrasiam plurimum ad eam valere.

Koenig*) contendit, tuberculosin renum sine scrophulosi rarissime inveniri. In renibus, inquit, hominum, quos tuberculosi esse infectos persuasum fuisset, scrophulosa reperta esse abscedentia, quae primum tuberculosis fuisse gradum, verisimile esset. Idem vero narrat, juvenem, qui scrophulosis quidem et tuberculosis speciem

*) Krankheiten der Nieren durch Krankheitsfälle erläutert. Leipzig 1820.

non praeberet, ad gonarrhoeam depellendam magnam Mercurii et balsami Copaisae copiam adhibuisset, remato illo morbo urinae difficultate afflictum interjectis octo annis fessum confectumque atque vegrandi macie torritum renum tuberculosi periisse.

Nec de Ammon*) negat, in omnibus, quos renum tuberculosi affectos tractasset, hominibus, alia organa srcophulosi et tuberculosi corrupta sese reperisse.

Johnson**), ubicunque tubercula, inquit, insunt renibus, semper fere et in pulmonibus deprehenduntur, plerumque etiam aliae organorum urinalium genitaliumque partes ex iisdem laborant, veluti vesica, urethra, testes, vas deferens, vesiculae spermaticae, atque prostata maris, uterus et tubae Fallopianae feminae, saepe et glandulae mesenterii atque membrana pituitaria intestinorum tuberculosi corruptae sunt.

Alio loco ab eodem scriptum legitur: de causis tuberculosis renum nihil aliud dicendum est, nisi in illum eam esse referendam numerum, quae rarius gignuntur ex tuberculosa diathesi.

Itaque tuberculosis renum, quum conjuncta semper cum aliorum organorum, in primis pulmonum tuberculosi putanda sit, morbus est secundarius. Tuberculosis renum quotiescunque est adhuc observata, quum symptoma generalis tuberculosis exstiterit, in dubitationem, quae su-

---

*) Rust's Magazin für gesammte Heilkunde. Band 40. Berlin 1833.

**) Krankheiten der Nieren, aus dem Englischen übersetzt von Dr. Schütze.

pra contendimus, non sunt vocanda. Attamen interdum accidit, ut tuberculosa renum affectio cum aliorum organorum tuberculis conjuncta non sit.

Quod in eo evenit homine, cujus infra describere morbum nobis proposuimus. Symptomata tuberculosis renum multo prius exstiterunt, quam acerrimis curis omnique diligentia in explorandum collatis vestigia nascentis tuberculosis pulmonum reperta sunt. Res igitur haec documento esse videtur, fore posse, ut tuberculosis renum non secundaria, quae ex tuberculosi aliorum organorum gignatur, sed primaria sit affectio. Idem vero comprobat, quae Koenig observasse supra commenvoravimus.

Nec vero omnes aetatis gradus tuberculosi renum aequo modo patent. Johnson auctore in hominibus, qui mediam vitae aetatem agunt (id est tricesimum ad quinquagesimum annum), frequentissime observata est. Rayer in liberis quidem eam bis deprehendit, negat autem, liberos huic calamitati magis obnoxios esse, quam aetate provectiores. Erant vero illi pueri annos septem octove nati. Nec non aetate graviores morbo illo tentari, auctor est Koenig, qui senem septuaginta annos natum, ad id tempus corporis calamitatibus intactum, tuberculosi renum implicatum tractavit. Quamvis interdum hoc morbo affectus accurrat, qui in liberorum aut senum numero habendus sit, eos tamen, qui vitae aetatem mediam agunt, maxime ei obnoxios esse observationes creberrimae diligentissimaeque demonstrant. Ut et dicam, quae in singulis renum partibus ab illa calamitate affectis versetur ratio, abscedentia tuberculosa, quum sedecim adultiores aegro-

tarent, sedecies reperta sunt in substantia corticali, quindecies in substantia medullari, in membrana 'pituitaria pelvis renum et urethrorum tredecies. Nec amplius quam sexies tubercula ambobus innata erant renibus, quum decies alterum tantum renem obtinerent; sinister autem ren quater ab iis corruptus inventus est.

De symptomatis.

Symptomata, quae in enascentibus renum tuberculis cernuntur, aut generalia sunt, aut localia. Illa, cuti externae et membranis pituitariis innata sunt; praeterea vero etiam ex habitu aegrotorum intelligi possunt.

Qui renum tuberculosi afflicti sunt, plerumque, ut omnes fere tuberculis affecti, singularem, paene cerinum cutis calorem praestant. Cutis ipsa est remissa, caretque proprio turgore et normali calore, ita ut nunc magnopere caleat nunc mirum in modum frigeat, saepenumero etiam glutinosa nec profuso sudore obruta sit. Praeterea habitus oris lineamentaque observantur, quae aegrotis, ipsisque liberis, faciem affectionis hypochondriacae reddere solent.

In membranis pituitariis, si renum tuberculosis exstat, eadem cernuntur symptomata, quae in textibus totius horum organorum generis, ubicunque tubercula enascuntur absceduntque, animadverti solent.

Ea vero sunt nunc inflammatoria vel catarrhalis irritatio siccitasque, nunc secretiones profusae velut tussis et sicca et se solvens, alvus restricta, diarrhoea, siccitas

nasi, destillatio narium profusa, alia; quae calamitates nec plane cognitae sunt nec prorsus explicatae.

In symptomatum, quae in generali corporis habitu hominis tuberculosi renum laborantis observantur, numerum referendi sunt hysterici mulierum spasmi, qui e renibus atque interioribus genitalibus organis ut proficiscantur, saepe accidit. Eundem in numerum singularis adscribendus est corporis habitus, qui incipiente quidem renum tuberculosi conspicitur, plerumque autem ingravescente calamitate, maxime ubi huc accedit, ut ren alter amplificetur, speciem lordosis praebet. Qui corporis habitus eo efficitur, ut regio lumbalis, quam aegrotus extendere semper studet, ut tumoris gravitatem sibi relevet, dilatetur.

Jam vero de localibus tuberculosis renum symptomatis referam. Notandum est autem, incipiente certe çalamitate non in ipsis organis, sed in vesica atque urethra ea apparere. Aliorum aegrotorum qui observati sunt regio corporis, in qua renes sunt, mirum in modum irritabilis fuit, atque dolori pronior; alii incertum conquesti sunt dolorem, qui a regione renum praeter urethros usque ad vesicam pertinens vehementissimo pruritu orificii urethrae terminabatur. Symptomata quae prima in systemate uropoetico exstiterunt, sunt ipse ille pruritus orificii urethrae aut nunc assidua urinae cupiditas, quae aegrotum paullisper quiescere vix patitur, nunc urinae retentio. Quae symptomata in membrana pituitaria colli vesicae ut erumpant, eo effici videtur, quod salsa, solutis tuberculosis materiis conferta urina membranam illam irritat excitatque. Quae urina, ex qua tuberculosin renum optime intelligi

satis constat, colore est flavescente lutosoque atque forma serosa. Plerumque premit reddentique ardentes affert dolores; sin autem aliquot per horas neque tangitur neque movetur, clarum quoddam et farinulentum atque tuberculosum sedimentum relinquit. Incipiente jam morbo talis effunditur, neque donec ille remotus est, mutatur nisi ut interdum, quum renum tubercula, quae durata sunt, molliri incipiant, paucos quidem dies deficiat, postea autem multo magis abundet erumpatque. Sanguis vero urinae admixtus rarus est inventu, idque quidem ea tantum conditione, ut tubercula abscedant in renibus jam corruptis.

Nonnunquam in illa urina nobis occurrit parva copia albuminis, quod quum et in aliis renum calamitatibus animadvertatur, tuberculosi non est singulare nec proprium. Soluta tuberculorum materia si in calices renum pelvemque atque urethrum effunditur, urina, simul atque reddita est, exhibet massulas, quae non ex fibrino compositae sunt, sed subsidunt.

Quod sedimentum Rayer microscopio usus exponit in primis ex corpusculis pituitariis compositum esse, nonnunquam etiam ex corpusculis sanguineis atque substantia organica, quae acidis dilutis non solvitur, ut cetera sedimenta solent ex phosphatis et uratis constantia. Organicam illam materiam per microscopium exploratam ex conspicuis corpusculis purulentis atque sanguineis compositam esse, cognoscimus. Urinae, si cum tuberculorum massis conjungitur commisceturque, vel maxime variat multitudo, ac quidem non solum ejus, quae complures per dies, sed etiam quae per unum eundemque diem redditur.

Nunquam autem copia materiae tuberculorum, quae urinae inest, cum pure, quae ex inflammata pelvi renum aut vesica proficiscitur, comparanda est.

Nec minus ad localia symptomata tuberculosis renum pertinet tumens renum regio, quam si quis manu palpat tactuque explorat, tumorem aliquantulum deprehendet; praeterea percussione rem accuratius perspicere possumus. Majorem jam tumorem oculis ipsis in regione lumbali cognoscimus. Interdum quidem tangendo ille intelligitur esse tuberosus, plerumque autem levis rotundusque.

De Diagnosi.

Diagnosin tuberculosis renum instituere difficile et est, et semper erit, maxime quod tubercula substantiam renum tentant, in eaque abscedunt. Omnino ut calamitatem istam recte clareque cognoscamus, fieri non potest, nisi locus tuberculis corruptus cum canalibus deferentibus conjunctus est, ita ut quae insunt effundi possint. Accidere quidem potest, ut urina albumen contineat, atque in regione lumbali dolores hebetes exstent; omnia autem haec symptomata, etiamsi in hominibus scrophulis tuberculisve infectis observentur, tamen non sufficiant, ut in iis solis diagnosis ponatur.

Materia tuberculorum si mollita ex renum substantia in urethrum effunditur, admixta urinae diagnosin reddit multo faciliorem. Qualis urina illa microscopio explorata appareat, proprie planeque exponendum quidem non est,

attamen morbus aliquis merito pro tuberculosi renum habetur, si in urina aegroti sedimentum subsidit ex corpusculis purulentis et interdum sanguineis compositum atque ex aliquanta copia amorphae, granulatae organicae materiae, quae acido acetico non solvitur. Vesica morbo tentata, lacerae membranae pituitariae tuberculis infiltratae oculis ipsis saepissime cernuntur. Nec non graviores levioresve dolores atque irritabilitas in iis, quae vesicam cuiscumjecta sunt, crebrae acerbaeque urinae exinanitiones, alia cystitis symptomata aliquid diagnosi instituendae afferre possunt adjumenti. Si haec symptomata simul cum indiciis tuberculosis aliorum organorum, veluti pulmonum vel testiculorum observantur, diagnosin in tuberculosin renum statuere nobis minus dubitandum est.

In homine, cujus aegrotationem infra enarrabimus, indicia tuberculosis pulmonum non prius apparuerunt, quam calamitas decedere coepit, ita ut, quum tuberculosis aliorum organorum non exstaret, incertum esset, quomodo et quem in morbum diagnosis statuenda esset. Ea autem fit certior probabiliorque, ubi renes pelvi renum calicibusque urina redduntantibus ita amplificantur, ut tumorem, qui per tegumenta tactu sentitur, efficiant.

De diagnosi differentiali.

Multo magis animus mihi videtur eo inclinare, ut aliam, quae cum renum tuberculosi confundi potest, exstare arbitremur calamitatem, quam illam ipsam, quum proprium ac singulare ejus indicium, urinae illud dico sedi-

mentum, saepissime desit, ceteris autem symptomatis nimium addi solet momentum. Huc accedit, ut renum calamitates, quae cum renum tuberculosi confundi possunt, omnes frequentiores sint, quam illa, utque, etiamsi res ad diagnosin instituendam vel maxime idoneae aptaeque sint, difficillimum tamen esse videatur, morbum aliquem certo agnoscere tuberculosin renum. Qua re nihil est, quod miremur, medicos in tuberculosi renum cognoscenda esse cautiores profidioresque, atque de aliis prius hujus organi calamitatibus cogitare meditarique.

Liceat igitur quaeso, pauca de aliis morbis, qui cum tuberculosi renum confundi et possunt et solent, de eorumque diagnosi differentiali afferre.

Vesicae calamitates cum renum tuberculosi saepissime confundi videntur, quum inter earum symptomata quaedam sint similitudines; ac quidem sunt inprimis hae calamitates:

Cystitis catarrhalis,

interdum exsistit una cum febris symptomatis, quae speciem cachexiae, qualem renum tuberculosis efficit, non praebent. Si qui ex ea laborant, de incertis circum inferiores ventris partes queruntur doloribus, quae sursum usque ad ea, quae renibus circumjacent, atque deorsum praeter urethram usque ad glandem pertinent. Perpetuus mingendi est impetus, urina autem redditur maximis cum doloribus, ita ut paucae, quae per urethram brevibus intervallis interruptae effunduntur, guttulae animum crucient, quasi liquefactum plumbum penem percurrat. Initio productio pituitae pauca est exiguaque, ita ut uri-

nae, quae sedimentum magis minusve pituitarium segregat, nonnulli tantum flocci admixti sint. Quum autem sedimentum illud nihil aliud contineat, nisi pituitam quaestione chemica et microscopia diligentissime instituta eo adducimur, ut tenuem levemque vesicae calamitatem exstare intelligamus, non metuendam illam renum tuberculosin. Recedere praeterea hic morbus solet paucis diebus praeteritis planeque removetur, tuberculosis autem renum per longum temporis spatium retinetur ex eaque rarissime, haud scio an, nunquam quispiam convalescit.

Carcinoma vesicae. —

Indicia chronici vesicae catarrhi sunt symptomata, quae in carcinomate maxime elucent observanturque. Diagnosis in eo posita est, ut symptomata illa et perseverent et in dies aggravescant, ut gravis cachexia mature ingruat, ut carcinomata in aliis quoque organis reperiantur, praecipue autem ut detrusae atque una cum urina effusae eorum, quae recens accreverint, particulae diligentissime explorentur microscopioque perlustrentur. Sin igitur quid ad explorandum diligentiae curaeque confertur, haec aegrotatio cum renum tuberculosi ut confundatur, facile non potest fieri.

Lapides vesicae. —

Plerique, qui ex lapidibus vesicae laborant, non sentiunt, alienum quiddam in vesica versari. Prope vesicam commoventur dolores, qui praeter penem usque ad glandem pertinentes aegrotus ad praeputium manu tractandum agitandumque adducunt, ita ut illud turgescat, penis-

que extendatur. Quibus ex symptomatis lapides vesicae indicantur. Saepe collum vesicae lapides intercludunt, ita ut urina profluens interrumpatur. Etiamsi initio facile atque sine dolore mingitur, finis tamen minctionis vehementissimos afferre solet dolores, quibus adjuncti sunt dolores in testiculis, femoribus et in renum regione. Nonnunquam uno cum urina pituitarium effunditur sedimentum. Quae symptomata omnia, quum symptomatis tuberculosis renum sint simillima, facile quidem cum iis confnndi possunt, sin autem sedimentum illud urinae conspicitur atque diligenter accurateque exploratur, si cachectica, quae in aegrotis tuberculosi renum affectis apparere solet, febris atque tuberculosis aliorum organorum reperitur, diagnosis lapidum vesicae et tuberculosis renum secerni facile posse mihi videtur, ita ut morbus certo agnoscatur tuberculosis renum esse.

Nec minus facile renum tuberculosis confunditur cum aliis renum calamitatibus, quae eorum formam structuramque commutant, ac quidem praecipue cum carcinomate renum eorumque lapidibus.

Carcinoma renum. —

Quum carcinoma renum cum tuberculosi eorum omnium saepissime confundatur, longiori esse in enarrandis ejus symptomatis, ut accuratius cognoscantur, mihi liceat. Primum enim ejus stadium pauca tandum exiguaque symptomata edit. Ex quibus est gravis, constans, magis minusve acutus in alterius vel amborum lumborum regione dolor. Hoc autem symptoma, quod diversis renum aegrotationi-

bus commune est, structura renum nullo modo mutata exstare posset.

Carcinomate autem procedende gravescenteque renum volumen amplificatur augeturque, ita ut solidus efficiatur tumor, cujus superficies plerumque incomposita, per ventris tegumina tactu sentitur. Aliud renum carcinomatis symptoma est haematuria. Copia sanguinis, qui urinae admixtus est, nunc minor nunc major. Si major est, accidit, ut urethri atque vesicae sanguis, qui facile coagulatur, urinam profluentem impediat ac retineat. Haematuria vero est constans, sed aliquamdiu saepe non cernitur, sive quum haemorrhagia re vera sublata sit, sive sanguis coagulatus urinam, quae sanguinem continet, impediat, quominus effundatur. Albumen quoque in urina interdum invenitur, etiamsi sanguinem non continet. Digestio vero turbata esse solet. Cibi cupiditas non est atque stomachus intestinaque inflantur, nec non nauseatur vomiturque. Calamitate in posteriora stadia progressa sufflavum cutis assumit colorem, qui carcinomatis cachexiae singularis est propriusque. Macies augetur, exsistit oedema pedum, quod ex carcinomatis cachexia atque haematuria perseverante proficisci potest. Quibus ex rebus et generalis effici potest hydrops, quae a Rayero in renum carcinomate nonnunquam observata est. Diagnosis materiis, quae una cum sanguine urinae admixto secernuntur, confirmatur. Atque si microscopio usi carcinomatum particulas conspexerimus, eo merito adduceremur, ut aegritudinem esse carcinomatosam putemus. Si carcinoma in alio organo invenitur, si prius carcinoma ex-

stirpatum est, aut indicia cachexiae carcinomatis apparent, constantes dolores, si qui in alterius amborumve lumborum regione percipiuntur, carcinomate renum effici optimo jure exsistimamus.

Quibus ex rebus probe intelligimus, quae symptomata ad diagnosin aut tuberculosis renum aut renum carcinomatis plurimum valeant. Ad illam generalis diathesis tuberculosa atque massae tuberculornm in urina inventae maximum afferunt momentum, ad hanc carcinoma in aliis organis repertum atque materiae carcinomati similes, quae urinae insint.

Lapides renum. —

Quod symptoma in hominibus ex lapidibus renum laborantibus semper fere apparet, est vehemens circum alterum lumbum dolor. Ejus autem gravitas in aegrotis variis varia est. In aliis acutissimus constansque est, conjunctusque cum ardoris affectu; aliorum regio renum, si premitur, admodum irritabilis est, quum in aliis dolor leviter premendo paullulum relevetur. Alii concrementa renum ampliora effundant nullo dolore cruciati.

Graves autem dolores ex eo proficisci solent, ut ad lapides renum alia eorundem calamitas accedat.

Dolores praeter urethram nonnunquam procurrunt, atque usque ad ejusdem partis pertinent testiculum, qui intentus et irritabilis tumidusque est.

Saepe observatum est, dolores, quos lapides renum excitant, cum nausea vomituque conjunctos esse. Aliud frequens symptoma lapidum renum est sanguis urinae suffusus. Perpauci tantum quidem aegrotant, in quibus hae-

maturia non aliquamdiu appareat, multitudo autem sanguinis in variis vel maxime variat.

Certae diagnosis subsidium est chemica et microscopia exploratio urinae, cui insunt sedimenta crystallina acido-urica aut octaëtica crystalla calcis acido-oxalicae. Quum autem non raro accidat, ut crystallinum sedimentum frustra indagetur, itemque in tuberculosi renum investiganda sedimentum illud, ex quo haec calamitas cognoscitur, deficiat, tuberculosus habitus, tuberculosa abscedentia in aliis organis observata, cachectica febris, quae accedit, magni ad diagnosin instituendam momenti erunt.

De Prognosi.

Prognosis tuberculosis renum opportuna non est. Tubercula enim ipsa ad dissipandum dissolvendumque non apta sunt. Curandi facultas non datur, nisi perpauca tantum exstant tubercula, quae in pus convertuntur, pusque ipsum per tubulos uriniferos effunditur, atque cava, quibus abscedentia inerant, ad cicatricem perveniunt. Secundi stadii tubercula aut ea, quam modo diximus ratione, sanescunt, aut totos renes delent, quo fit, ut cachectica febri aegrotus tentetur, macieque confectus vita decedat. Homines, ex renum tuberculosi laborantes, quoscunque adhuc medici observarunt, sive progressus morbi aut chronicus aut acutus fuerit, mortui sunt.

De Therapia.

Curandae tuberculosis renum ratio, quum tubercula dissolvi prorsus non possint, symptomatica, quae vocatur, est; rebus enim accomodatur symptomatisque, quae in aegrotis singulis observantur. Si inflammationis indicia animadvertuntur, removere hanc studemus; si aegrotus irritabilis est, irritabilitatem tollere nitimur; diathesi tandem scrophulosa, viam ingredimur, qua sanari solent scrophula. Fontanella prope renes aperienda digna esse videtur, quae commendetur. In primis nobis est id cavendum, ne renes irritentur.

Si calamitas ex scrophulosi profecta esse videtur, sive indicia scrophulorum exstant, tonica comprobantur medicamenta. Aqua calcis intus adhibenda est, si pus jam procreatur. Cortex Chinae in formas diversas redactus, aquae ferruginosae, quas natura ipsa prodit, caute ac perseveranter adhibitae; simul autem certi vivendi modi ac legis maxime habenda est ratio. Lac, alia alimenta, quae digestionis organa ferre facile possunt, maximam afferrunt utilitatem.

Ubicunque autem naturales aquae ferruginosae non sufficiunt, diversa ferri remedia officinalia cum aliis medicamentis aptis recte commixta non frustra dantur.

De Ammon *) puerum, quem tuberculosi renum affectum esse putabat, quod putatum necroscopia confirmabatur, hac ratione tractavit:

---

*) Rust's Magazin für gesammte Heilkunde, Band 40.

Diaeta apta alimentaque, quae digeri facile potuerunt, praecepta sunt, atque infricationes locales:

℞ Ung. Digit. purp.
Ung. Althaeae aa
M. f. unguentum;

cataplasmata ex speciminibus emollientibus atque herbis Cicutae composita, tum intus

Mellago graminis
Liquor Kali acetici

ut reciperentur, proposita sunt remedia. Nonuullos post dies, per quos illa curandi ratio continuata est, observatum est, tumorem jam non crescere. Puer melius se habuit, defaecationes normales effecit, urinam autem primis diebus aut nolens reddidit, aut tanta erat mingendi cupiditas, ut non satis celeriter urinam exinanire posset. Morbus in melius se convertit plures per hebdomades, quod per tempus

Mellago graminis
Liquor Kali acetici

magnam attulit utilitatem. Reconvalescentia progrediente

Aethiops mineralis
Cortex aurantiorum

in refracta dosi datum est, quod plurimum ad pueri habitum valuit. Quum acres in tumore dolores exsisterent atque passim vomitus una cum febri erumperet nec non tumor usque ad priorem voluminis magnitudinem mox rediret, leviora medicamenta antiphlogistica intus, extrinsecus autem hirudines et cataplasmata dolores relevantia, postea emplastrum hyosciami adhibita sunt. Quum inte-

stinorum secretiones non fierent, clysmatibus eccopraticis adductae sunt. Kali hydrojodicum jam ordinatum est:

℞ Kali hydrojod. ʒß
Ung. rosati ℥i
M. f. ung. d. Abends eine Bohne groß in die Geschwulst einzureiben.

Quod medicamentum, quamquam caute adhibitum est, mox tamen deponendum fuit; namque tumor valde caluit, dolores excitavit, mirum in modum amplificatus est. Puer, qui ad id tempus alacris fuerat, morosus factus est, cibi cupiditatem amisit, multa bibit, febri tentatus est. Statim Liquor Kali acetici intus ordinatus est, atque hirudinibus compluribus admotis, cataplasmata dolores sedantia adhibita sunt. Inflammatio, haud scio an Kali hydrojodico effecta, et febris remotae sunt. Paucis diebus praeteritis, tumor vel maxime accrevit. Aegrotus in aërem salubriorem transportatus summa cura atque diligentia tractatus est. Se recreavit, sed status melior non erat constans. Mox enim vehementissimi eum ingruerunt dolores, febris et macies, tumorque crevit. Etiam tunc

Liquor Kali acetici
Syrup. Rubi Idaei
Aqua destillata

quae medicamenta puer cupiditate quadam recepit, maximo erunt levamento. Sensim status quidam cachecticus est adductus,

Acid. sulf. diluti
Aquae destillatae aa

ordinata sunt. Puer aliquantulum se recreavit, tumor

autem amplior factus est. Cataplasmata dolores sedantia, tumoris dolores vel maxime relevarunt, quum linctus

Syrup. Rubi Idaei ℥j
Aquae flor. Naphae
Aquae laurocerasi

aegrotum ita afficeret, ut tranquilior quietiorque fieret, atque febris minueretur. Qui status non constitit. Nonnullis enim hebdomadibus praeteritis, tota corporis parte sinistra convulsionibus agitata, vita est exstincta.

Liceat mihi, priusquam huic opusculo finem impono, de aegroto, qui nuper hac in urbe observatus est, pauca referre:

Hermann Domratzky, septem annos natus, medico traditus est curandus. Semper valitudine optima fuit, dimidio autem anno antea de abdomine conquestus in lectum mingere coepit. Postremis hebdomadibus caducior atque miserior; cibi cupiditas non fuit, sed bibendi. Ad finem Decembris calamitas in deterius mutata est, matutine caluit, vespera friguit. Urina reddenda maximos commovit dolores, inprimis finis minctionis. Impetus mingendi creber vehemensque fuit, urina guttatim effusa est; pulsus 140, respiratio 18, calor auctus. Oculi concavi, malae rubentes, lingua contecta, magna sitis, cibi nulla cupiditas. Pectore diligenter explorato nihil repertum est, quod offenderet. Abdomen aliquantulum extensum atque ad dolores percipiendos pronius, nec minus regio vesicae. Tumor tactu non sentitum est. Urethra rubens, irritabilis, pituitario et purulento secreto contecta. Urina magnam purulentae pituitae copiam continuit.

Primum, ut erat status, de affectione vesicae cogitatum est, ac quidem de cystitite catarrhali; symptomata, quae periculosam calamitatem indicarent, non exstiterunt. Aegroto ad enuresin removendam data sunt:

Tinct. Belladonae

S. 3 × tägl. 3 Tropfen,

praeterea

Folia uvae ursi

S. zum Thee,

id etiam curatum est, ut alimenta roborantia essent. Calamitate autem aggravescente, sedimentum urinae valde auctum est; albumen quoque in urina multum inventum; puer speciem praebuit maciei miserandaeque conditionis. Huc post nonnullos dies tussis atque sputum tenue accesserunt. Aegrotus de diarrhoea querens, cibi cupiditatem resumit.

Ordinata sunt igitur catarrhi pectoris depellendi causa:

Stib. sulf. aurant.

Sacchar. alb.,

ut diarrhoea removeretur:

Acidi tannici ℈iiβ

Opii Gs. iii

Sacchari q. s.

ut fiant pillulae No. 24. S. tägl. 2 Pillen zu nehmen; ut affectio organorum urinalium averteretur

Semen lini

S. zum Thee;

aqua calcis, et cataplasmata calida vesicae regioni imposita. Aegrotus factus est hebetior, infirmior atque irri-

tabilior. Quamquam defaecatio creberrima erat, faeces tamen paucissimae exiguaeque. Pectore auscultando explorato fremitus crepitusque auditi sunt. Nux vomica data est. Habitus generalis in dies in deterius conversus est; macies magis magisque aucta, in pectore crepitus acutus, praecipue in ejus dextra parte. Postquam per quinque hebdomades tractatus est, calamitate periit.

Jam initio morbi conjectatum est, aegrotum renum tuberculosi esse corruptum, quum nihil aliud reperiretur, quod calamitatis esset causa. Postea verisimilius factum est, renum tuberculosin exstare, maxime quum ad finem morbi symptomata apparerent, quae eo adducerent, ut pulmones esse corrupti putarentur. Corpuscula tuberculosa urina microscopio explorata non exhibuit.

Necroscopia instituta haec sunt investigata: ambo renes amplificati, in sinistra parte nonnulla tubercula, quorum duo majore volumine jam detrita erant; ren dexter ita erat confectus, ut nihil nisi substantia corticalis cognosci posset; locum substantiae medullaris compluria cava pure expleta obtinebant. Urethri admodum erant extensi, eorumque parietes mirum in modum turgentes; vesica contracta, dura tactu, intus tuberculosi deleta; item in prostata tubercula erant, atque in intestino ileo ulcera tuberculosa. Glandulae mesenterii ita erant degeneratae, ut ad magnitudinem plantae tuberosae pervenirent.

VITA.

Natus sum Eutzschii ad Vitebergam anno hujus saeculi XXXVIII die primo mens. Nov., Mauricio et Agnesa e gente Bach, parentibus', quos adhuc sospites esse laetor. Fidei addictus sum evangelicae.

Litterarum primordiis imbutus scholas Vitebergensem et Numburgensem frequentavi. Maturitatis testimonium adeptus anno h. s. LVIII Halas Saxonum me contuli, ubi audivi prodocentes: Ill. de Schlechtendalium de botanice; ill. Knoblauchum de physice; ill. Ulricium de logice; ill. Giebelium de zoologia; ill. Schultzium de osteologia et syndesmologia; ill. Volkmannum de anatomia cuncta descriptiva, de arte cadavera rite dissecandi; ill. Heintzium de chemia; ill. Girardum de mineralogia; ill. Erdmannum de psychologia; ill. Blasium de chirurgia; doct. Mannum de pathologia generali.

Inde sedem studiorum meorum in universitatem Lipsiensem transtuli, ubi anno LX civibus academicis adscriptus scholis interfui illustrissimorum virorum: Weberi, Güntheri, Wunderlichii, Clari, Credéi, Hennigii.

Postremum autem reversus sum Halas Saxonum, qua in universitate scholas tum frequentavi clinicas professorum doctissimorum: Blasii, Vogelii, Hohlii beati, Weberi.

Viros autem, quos dixi, uti nunquam non grato animo prosequar, ita neque nunc possum neque unquam potero eorum de me merita laudibus satis efferre.

Jam vero tentamine tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Dyscrasia syphilitica sine Mercurio sanari prorsus non potest.

II.

Diagnosis tuberculosis renum statui non potest, nisi exploratio microscopica atque chemica diligentissime instituitur.

III.

Scarlatinae therapia non nisi symptomatica.

IV.

Si quis hydrocelen curare vult, inprimis incisio est facienda.

V.

Ad solvendam placentam Credéi methodus est aptissima.